



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Stephanus Rex. 20. Augusti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

dit: *Pulchrè verò affem dividitis, vobis calum habetis, mihi terram reliquam facitis: at hoc fide profectò minimè germanâ.* Mox cum per ætatem licuit, fratres secutus litem de cælo illis non ingratham fecit. Eru-
ditionem BERNARDI loquuntur ejus Volumina meros favos spirantia, tum præcipuè cum de melleâ VIRGINE sermo est; ut meritò ex hujus uberibus haussisse hoc nectar credamus. Sed & nobis iidem fontes essent, si eadem cum BERNARDO sitis esset. *Ex vitâ ejusdem.*

Mundus transit & concupiscentia ejus, & relinquere hæc magis expedit, quàm relinquere. Sed nec inutilis commutatio, pro eo, qui super omnia est, omnia reliquit. S. Bernard. sup. illud. Eu. Ecce nos.

S. STEPHANUS REX. 20. Augusti.

STEPHANO nomen necdum nato ipse STEPHANVS Protomartyr indidit. Sponsam duxit Giselam D. Henrici Imp. sororem. Hæc illi Emericum, cæterum Christo omnes Ungaros peperit. Tutelam sibi regnoque suo æternam *Castrorum Aciem ordinatam* VIRGINEM MATREM legit. Hujus enim auxilio copias Conradi Imp. jam Ungariæ imminentes avertit. Ipse inter omnes milites maximè sanctas Vigiliis nocturnas habuit, sed preces inter; visumque sub his ipsum aliquando tabernaculum regium Angelis bajulis humo sustolli, & tunc per aërem mox per omnium hominum ora volare. Trophæa pietatis suæ templa ac cœnobia per totum orbem sparsit. Miseros ingenti charitate complexus non dubitavit deademate ornatum caput manusque scepro armatas ad horum pedes abluendos demittere, sportulamque inelientes ipse dispensare. Quare factum aliquando,

do, ut certantibus his stipem auferre, barba etiam regis spoliū manibus appetentium cederet. Et hoc ipsum conquestus familiariter VIRGINI STEPHANVS fertur, durius ab ejus militibus se acceptum, quàm ab hostibus sperare potuisset. Sed pilumne ille amitteret, qui liberalem manum multis annis à morte integram orbi ostendit? Hanc obiit ipso VIRGINIS assumptæ die. Huic moriturus unicè iterum se regnumque commendavit. Felices Ungari, si testamenti STEPHANI meminerunt! *Ex Surio.*

Si est ascendendi ad superna possibilitas, si est facultas vivendi in caelestibus, quare non celo mutamus terram? quare non caducis emimus aeterna? quare non perituris manentia comparamus? S. Pet. Chrysol. serm. 124.

S. BASSA CUM FF. MM. 21. Augusti.

BASSA non tam tergemino filiorum partu, quàm morte felix vixit sub ea tempora, quibus Maximiani ferro longè plurimi Martyres vixerunt, Dæmonum sacrificulo, hoc est, agna lupo juncta. Sed & filii matrem vultu, non patrem retulerunt, utpote omnes Christiani. Eam ob rem unà in jus iniquissimum rapti, accusante ipso filios patre, & uxorem marito damnante. Primum ex equuleo pendere viderunt cæli & laudarunt THEOGNIVM membris lacerum, animo integerrimum. Alterum AGAPIVM virgæ non puerum sed virum probarunt & sine cute jam suâ fortio- rem quam in alienis exuviis Herculem. Alia item tormenta tertium fratrem sanè Germanum probarunt. Omnes igitur eodem gladio cæsi, eadem palmâ coronati: ad quem nuncium BASSA plus ali-